

e, vt TE
, virtu-
praemia
ATRO-
E solo re-
rior, o-
n tuen-
ffe, cuius
uore, eo
videtur.
TIFICE,
er mihi,
quifas est,

HAMARTIGENIA,
SIVE
DE FONTE VITIORVM HUMANORVM
QVAESTIO
PHILOSOPHICE SOLVTA.

§. L



uum natura hominum in quaevis vitia ad-
modum procliuis, prauis moribus adeo
indulgeat, vt non immerito visum fuerit
multis, virtutes nostras et numero vinci, et
magnitudine multum a vitiis superari: (a)
non male Philosophus, more sibi familiari,
cauſas rerum inuestigans (b), huius etiam,
tamen late patentis mali originem indagaturus,
quaerit: vnde natales suos deriuet tam lar-
ga vitiorum humanorum seges? vel quonam ex fonte potissimum
proruperit tristis haec animorum contagio, quae in vniversum
omnes inficit, vtque nemo nostrum vitam perfecta virtute nitentem
agere valeat, efficit. (c) Quaestio digna prorsus, quae & no-
stras aliquantisper occupet meditationes, in sequentibus, at paucis tan-
tum, explicandas. (d)

A

(a) Sen-

2 DE FONTE VITIORVM HUMANORVM

(a) Sententiae huic maxima Theologorum pars fauere deprehenditur, eorum in primis, qui in tradenda doctrina morali seueriores videri volunt. Praeceuntem sibi habent AVGVSTINVM, omnium fere religionis christianaæ familiarum oraculum, qui omnes virorum vel maxime illustrium, Iudeorum quondam, nunc vero christianorum sacris non initiatorum, laudatas vulgo virtutes, non nisi pro splendidis peccatis habendas esse, docuit. Confirmant, et vero maxime similem redundunt sententiam hanc illius generis scriptores, qui de occultis christianorum vitiis, deque falsis hominum virtutibus egerunt; quorum primis GERBERVM accensendum esse constat in libro germano. Von den unerkannten Sünden der Welt; posterioribus autem Abbatem GalloM ESPRIT, in tractatu *de la fausseté des vertus humaines*. Non desunt interim alii non inferioris subsellii cruditi, & de paganorum actionibus, & de omnibus in uniuersum virtutibus mitius iudicantes. Non quidem probant iidem remissam nimis morum disciplinam, inter quosdam Pontificios receperunt, arbitrantur tamen, esse quandam vitiorum & virtutum inter homines aequalitatem, quam vel ipsa experientia loquatur, aequo paucos inueniri, qui in vitiis perpetrandis excellant, quam qui pietate paulo maiori alios superent: ceterum maximam hominum turbam quandam vitiorum & virtutum mediocritatem feruare. Non displiceret haec posterior sententia III. G. G. LEIBNITIO in Theod. Part. III. §. 259. ita disserente: *Il est pourtant vrai, que le vulgaire entre les choses, & que même quelques Theologiens abaisseint si fort l'homme, qu'ils font tort à la Providence de l'Auteur de l'homme. C'est pourquoi je ne suis pas pour ceux, qui ont crû faire beaucoup d'honneur à notre Religion, en disant que les vertus des Payens n'étoient que splendida peccata, des vices eclatans. C'est une saillie de S. Augustin, qui n'a point de fondement dans la sainte Ecriture, & qui choque la raison. Ait controuerſiam hauc ut in praesentia nostram faciamus, opus non est.*

(b) Obiter obſeruamus, hoc criterio maxime distingui cognitionem philosophicam a vulgari rerum cognitione, quod non in tantum ex veteribus agnoverunt, qui scientiam definierunt, quod sit cognitio rei per cauſas; sed recentiores etiam non pauci, interque eos Chr. WOLFFIV in Log. germanica, eiusque prooemio §. 5. 6. seqq. Non temere igitur Poëta, nescio quis, cecinit;

*Felix, qui potuit rerum cognoscere cauſas !
Ille metus omnes & inexorabile Fatum
Subjecit pedibus.*

E contrario minus bene ab aliis mediorum atque finium reputationem (si latinis auribus ita loqui licet) pro differentia philosophicae cognitionis specifica ven-

VM
henditur, co-
ideri volum,
is christiana-
, Iudeorum
tas vulgo vir-
confiemant, et
cipientes, qui
cegerunt 3 quo-
german, Von
Abbatem Gal-
Non defant
ionibus, & de
idem probant
consilios rece-
tum inter ho-
, aequo pauci-
tate paulli na-
quandam viti-
haec pollet-
§. 239, ita
, & que mœu-
à la providen-
, qui ont erd
us des Payens
ilia di S. Au-
g qui ebiqua-
nas , opus non
ognitionem ph-
n ex veteribus a-
per causis; sed
Log. germania-
nicio quis, &
putationem (li-
cognitionis speci-
fici)
ea

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA.

3

ca venditari, facillimum esset ostendere, nisi res ab instituto nostro aliena vi- deretur, alii potius loco & tempore referuanda.

(c) Nemo fere sententiam nostram aduersam umquam defendisse vide- tur, nisi forte Stoicos excipiendo censuerit aliquis, qui sapientem suum in summo perfectionis gradu constitutum esse, gloriati sunt. Afferuere nimurum: Sapientes virtutem omni vita sua insequi, perturbationibus immunes esse, eo quod labi non possint, vid. STANLEIVS in Hist. Phil. P. VII. c. XV. Verum certius est quam quod certissimum, ne ipsos quidem Stoicos credidisse, elusmodi sapientem spiam in rerum natura existere, vel ipso Stanlejo modo laudato testante. Si alienae mesli falcam immittere liceret, aliqua hie dici possent, partim de hodiernis Pontificiæ ecclesiæ doctoribus, contraria fortasse sentientibus, partim etiam de PELAG & CELESTINORIBUS, quos ab aduersariis huius doctrinae causa damnatos esse constat: Posse utique hominem sine vitiis esse, se voluerit. Licet aliis parum tutum videatur, ex sola aduersarii relatione de mente alicuius quidquam certi statuere, vid. Bibl. uniu. Tom. VIII. p. 174. seqq. Posito autem tantisper vel memoratos, vel quosuis alios in ea fuisse sententia, res ipsa tamen docet, tam lubricis camdem sultam esse rationibus, ut neminem seniori philosophia imbutum facile in suas partes trahere queat. Observandum tamen, neutquam a nobis afferi, impossibilem penitus esse homini vitam virtuosam, ita, vt contradicatio sit, hominem esse, & a vitiis abstinere. Absit! Hic enim si esset rerum nostrarum status, nulla prorsus relinqueretur ad leges seruandas obligatio; siquidem ad ea, quae fieri nequeunt, nemo tenetur. Id tantum volumus, neminem pro huius insirmae conditionis nostræ ratione ab omnibus abstinere vitiis, semperque virtutem colere haec tenus potuisse.

Nam nemo vitiis sine nascitur, optimus ille est

Qui minimis urgetur.

Hor. Sat. III. l. I.

(d) Non pauci quidem de mali cum physici tum moralis origine, suas cum orbe eruditio meditationes communicarunt; præsertim postquam recentiori aetate P. BAELIVS Phil. Roterod. partim in Dict. Hist. Critico, partim in Respons. ad lit. Provincialis cuiusdam, aliisque in scriptis, sepultam eousque Manichaeorum sententiam, specioso satis adparatu proposuit. In aciem enim prodierunt ab eo prouocati quasi, Viri nostrorum temporum doctissimi, IO. CLERICVS, ISAAC, IAQVELOT, IAC. BERNARD, GVIL. KING, IO. CHR. WOLFFIVS, CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, G. G. LEIBNITIUS, aliique. Quibus, quantumue diuersis armorum generibus a singulis his contra Baelium pugnatum sit, multa profecto disputari possent; ast instituti nostri ratio quo minus hoc fiat, impedit. De postremo tantum, vt pauca addamus, operæ pretium est, quum eius, dubiis Baelianis occurrenti methodus, tanto eruditorum aplausu excepta ubique fuerit, vt non tantum ter recuderetur intra decem annorum spatium, verum latine quoque & germanice versus prodiret, liber eruditione theologica & philosophica in-

4 DE FONTE VITIORVM HUMANORVM

stru^{ctissimus}, *Essais de Theodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l' homme & l' origine du mal.* Taceo quod summi nominis in ecclesia Euangelica Theologi, tanti viri meritis permoti, a laudibus eius temperare sibi non potuerint. *vid. Io. Fr. BVDD.* in *Inst. Theol. Dogmat. lib. III. cap. II.* p. 884. Ch. MASECOIVS Theol. Regioni. in *Tr. doctiss. de Dispositione ex Lum. Nat. ad supernaturalia, passim IO. GVIL. IANVS* in *Diff. de Theoseb. Christiana*, p. 34. *&c.* Nec eos adduco, qui ex Calvinianis & Pontificiis magno satis numero idem fecerunt: Id tantum addo, miru*m* prorsus non esse, quod inueniunt sint inter Germanos viri doctiss. qui contra Gallorum quorundam spem, tanto negotio pares, sententiam ab III. LEIBNITIO propositam, explicarent uberiorius atque confirmarent. Fecerunt hoc, germanico quidem idiomate, WOLFFIVS, in *den verhünnstigen Gedanken von GOTTE, der Welt, und der Seele des Menschen, Cap. VI.* latino autem sermone nuper BULFINGERVS in tract. de origine & permisso mali. Haec omnia autem eo libentius in medium afferro, quo magis de tanto viro erga quosquis exteros gloriatur Germania eruditus, immo ipsa sibi gratulatur Lipsiensium ciuitas, cuius in gremio hic reipubl. litt. heros & natus est & adoleuit. Licet autem exinde satis appareat, abunde satisfactum esse renouatis a BAELO Manichaeorum obiectionibus; eas tamen nuper reconquere non dubitauit Auctor tractatus; *Pensées libres sur la religion, l'église & le bonheur de la nation*, qui sub litteris B. M. latere voluit. Repetitis igitur dubiis, quidni etiam ea repetere licebit, quorum ope eadem resolui possunt. Licebit utique & nobis, post tot virorum longe doctissimorum labores in eodem argumento disputando versari; non quasi noua prorsus aut meliora diceturos confidamus, sed eo fine, ut bene dicta magis diuulgemu*s*, facilique methodo ad multorum captum accommodemus. Constitutum nimirum est nobis, methodo Analytica, siue a posteriori rem omnem aggredi, quod a nemine haec tenus factum est. Omnium facillima est methodus haec, vbi in caussas alicuius rei inquirimus, quas aut reuera ignoramus, aut docendi gratia ignorare nos simulamus. Non supponuntur, nisi ea, quae omnium consensu vera, certa & cuius obvia sunt; Deinde progredimur ad caussas proximas, hinc ad remotiores, donec tandem in prima consistamus. Sic Lector propriis quasi oculis omnia perlustrans, iis, quae traduntur, eo facilius adsentitur: sensim enim, tamquam in scala quadam a notioribus ad ignotiora ascendit, quae sitamque veritatem tandem consequitur. Nec ullum hac ratione periculum est, nos, hypotheses omni fundamento destitutas, prolato*r*os, lectoribusque imposituros esse; eorum more, qui synthesin ubique crepantes, vel contra primas methodi syntheticae leges impingere reprehenduntur, si accuratori examini subiictere specimen eorundem placuerit. Accidit hoc praesertim in illis disciplinis, quae, quum nulla fere certitudine gaudeant, vti Physica, Medicina, Iurisprudentia, demonstrationes stricte sic dictas respun*t*. Cuius rei si speci-
men

RVM
erte de l'bonne
ngelica Thes-
non potuerint.
4. Ch. MASE-
Nat. ad saper-
ana, p. 34. &c.
vumero idem fe-
cilius inter Ger-
to negotio pars,
ius arqueconfi-
IVS, in den ven-
Seele des Men-
in tract. de ori-
lum affectu, quo
a crudita, immo
eipubl. litt. heru-
abunde satisfactu-
tamen nuper re-
s religionis, & regi
Repeticus igni-
a resoluti possit.
m labores in ro-
aut meliora di-
us, faciliter me-
minimorum est no-
, quod a nemine
e, vbi in cuius
di gratia ignorare
confensus vera, ce-
ximas, hinc ad m-
er propriis qualitat-
nitor: sensim enim
e, questiamque re-
periculum est, ne
ribusque impul-
l contra prime in-
trationi existimari
serit in illis di-
ysica, Medicina, &
Cuius rei ille pre-

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA.

5

men quis desiderat, perlustrat quæsto YVONIS GAVCKES Tentamen medicinae Mathematicorum more demonstratae, in capite de congelatione institutum. Profecto, ne tirones quidem geometricæ methodi, a risu sibi temperare poterunt, tam inepte, tam confuse omnia consarcinata sunt. Conferri interim potest de utraque methodo, Analytica & Synthetica Io. CLERIC. qui in Log. P. III. solide, & ex geometrarum mente easdem descripsit, regulasque palmarias distincte tradidit.

§. II.

VItia sunt actiones hominum liberae, naturae legi contrariae, ideoque moraliter malae (e). Actio libera est, cuius ratio in voluntate ab intellectu determinata deprehenditur: sive ut vulgari loquendi formula multis familiari utar, ea demum actio libera est, quae a sciente & volente perficitur. (f) Naturae lex primaria est: Fac ea, quae te aliosque tecum conseruant, immo quatenus fieri potest, perficiunt: (g) quidquid enim actionum humanarum cum hac lege pugnat, illud moraliter malum esse, certum est.

(e) Nominalis tantum est haec vitiorum definitio, eaque propter' postulati instar, sine demonstratione posita. Nec vlla, nisi omnia me fallunt, demonstratione, in his aliisque casibus similibus, opus esse arbitror. Qui enim Mathematicis hac in re rigidiores se esse gloriantur, nihil agunt, quam ut incutis rerumque mathematicarum ignaris fucum faciant. Vocum significatio arbitraria est, & in cuiuslibet libertate situm est, eas in quoconque libuerit sensu adhibere, quamvis consultius sit, cum retinere significatum, qui per vsum sensu obtinuit. Quia autem posterius hoc, ob plebis in loquendo inconstantiam variasque æquiuocationes, fieri semper non potest, coarctandæ saepius & magis determinandæ sunt vocabulorum significations. Tantum interim abest, vt demonstrationibus firmandæ sint eiusmodi definitiones, vt potius praemonuisse lectores de vocis significatione, quam ubique sequimur, abunde sufficiat.

(f) Non moramur hic eos, qui cum MALEBRANCHIO omnes homini actiones adimentes soli Deo agendi facultatem concedere creduntur, quod opinio haec, nulla veri specie ornata, nullo alicuius ponderis argumento suffulta, proprio vitio corrut. Nec, an ex Cartesianismo ortum traxerit? nostrum est multis inquirere. Maioris momenti questio est, quae de libertate institui solet. Definiuimus eamdem ex mente philosophorum, qui inter recentiores acutissimi habentur & solidissimi e.g. LOCKII, PLACETTII, IAQVELOTI, quorum verbis adducendis supersedeo. Taceo Scholasticorum celeberrimos, taceo

6 DE FONTE VITIORVM HUMANORVM

etiam illi, LEIBNITIVM, C. WOLFFIVM aliasque plures, quos enumerare longum esset. Eoredit horum omnium sententia, libere agere, esse cum ratione, sive vera sive apparentia fuerit, sufficiente tamen agere. Illustrant iidem hominis voluntatem librae exemplo, cuius lances non nisi ponderibus mouentur & deprimuntur, licet concedant non leuem inter voluntatem & libram differentiam intercedere, eo respectu, quod in libra necessitate mechanica motus fiant, in anima autem per fuationes morales & inclinando vim suam exferant, rationes determinantes. Addunt etiam, aut numquam accidere, ut aequali rationum pondere ad opposita trahatur voluntas; aut si hoc forte acciderit, bilancis instar eamdem in quiete persistit, donec alterutra pars noua quadam accessione facta praevaluerit. Notissimum est de Buridani usq[ue] inter duo prata constituto exemplum, rei huic illustrandae admodum idoneum. Aliud præterea, & quidem secundum satis, propositus MICHAEL de MONTAGNE, eandem nobiscum sententiam defendens. Sic scribit vir perspicacissimus in *Essais de Morale* L. II. c. XIV. p. 583. C'est une plaisirnt imagination, de concevoir un esprit balancé justement entre deux pareilles envies. Car il est indubitable, qu'il ne prendra jamais parti, d'autant que l'application & le choix porte l'inégalité de prix. Et qui nous logeroit entre la bouteille, & le jambon avec égal appetit de boire & de manger, il n'y auroit sans doute remede que de mourir de soif & de faim. Pour pourvoir à cet inconvenient, les Stoiciens, quand on leur demande d'on vient en notre ame l'élection de deux choses indifférentes (& qui fait que d'un grand nombre d'écus, nous en prennions plutot l'un que l'autre, n'y ayant aucune raison, qui nous incline à la préférence) répondent, que ce mouvement de l'ame est extraordinaire, & déréglé, venant en nous d'une impulsion étrangère, accidentale & fortuite. Il se pourroit dire ce me semble, plutôt, qu'aucune chose ne se présente à nous, ou il n'y ait quelque différence, pour legere qu'elle soit; & que ou à la vue, ou à l'attouchement, il y a toujours quelque choix, qui nous tente & attire, quoique ce soit imperceptiblement. Non desunt tamen, qui aduersam penitus de libertate sententiam fouent, eam in perfecta quadam indifferencia, quam acquilibrii vocant, consistere, docentes. Ita sentit IO. CLERICVS, cum in operibus philosophicis passim tum, præsertim in *Entr. sur diverses matières de Theologie*. Entr. III. p. 85. seqq. Quem libellum auctoris huius esse, catalogus scriptorum eius ostendit, nouissimae artis Criticae editioni Amstelodamensi subiectus. Idem defendit SAM. CLARKIVS, Anglus, partim in scriptis eristicis, quae ipse de variis philosophiæ & religionis naturalis capitibus controverfir, aduersus LEIBNITIVM concinnauit, partim in litteris quibusdam ad eruditum quendam Cantabrigensem datis. Quorum vitrumque vid. in *Recueil de diverses pieces sur la philosophie, &c. par Mr. Leibniz, Clarke, Newton, &c.* Tom. I. Hanc etiam libertatis definitionem supposuisse videtur

Cet.

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA. 7

Cel. BVDDEVS in Opp. Phil. Tom. III. Cap. II. § XXXII. ita scribens: *Mibi voluntas acque ac intellectus, omni prorsus libertate, eo quidem sensu, quo hactenus vox ista intelligitur, desitum videtur.* Hinc enim intelligitur, thesin adeo paradoxam immo heterodoxam, quae omnem libertatem hominis negat, non nisi ex falso libertatis definitione fluxisse, nempe ea, quae §. praecedente ab ipso V. C. proposita erat, ubi dixerat libere agere esse, ita agere, ut uno obiecto proposito posse agere & non agere, idemque eligere & respuerere, aut pluribus obiectis propositis unum eligere, cetera respuerere, subintellige ubique, sine rationibus inclinantibus, quae voluntatem ad hoc potius, quam ad illud cupiendum, determinant, ut ex sequentibus colligitur. Hac sane libertatis definitione posita, & ego nullam prorsus nobis esse libertatem afferro. Si autem libertas dicatur mentis facultas, eligendi id, quod maxime placuerit, & respuerdi, quod displicerit, facultas inquam, volendi ea, quae intellectus tamquam bona reprobaverit, aut saltem tamquam minus mala, aliis multo peioribus; & auersandi ea, quae vel sub ratione mali, vel saltem minoris cuiusdam mali, intellectui obiecta fuerint: *Tum profecto nemini mens adeo lacua erit, ut libertatem negare in animum inducturus sit.* Hoc tamen obseruandum, non probari posse locutionem istam Cl. Buddei, §. XXXIV. loc. cit. occurrentem, qua hominem quidquid appetit, necessario appetere adseriat, si de necessitate metaphysica seu geometrica hoc intellectum voluit. Quomodo enim impuniti possent homini ea, quae ineuitabili & absoluta necessitate coactus appetere? Nec clausula §. eiusdem ab omnibus facile probabitur: *Ex quo patet, quo modo fablata licet omni libertate, leges nibilominus, poenae atque praemia locum habere queant.* Conferri multo cum fructu poterit tract. *Recherches philosophiques sur la liberté de l'homme* anonymi scriptoris, comprehensus in Recueil de div. piec. supra alleg. Part. I. p. 239. Quem CLARKIUS multo quidem, at frustraneo prorsus conatus resellere annis est.

(g) In hac vnica regula, tamquam in veritatis centro quodam, concurrunt omnia ista, quae a viris eruditis pro iuriis naturae principiis vindicata sunt, postquam recentiori aetate scientia haec, olim fere neglecta diligentius colligebit. Nec vlla exegitari potest lex, moribus humanis rite formandis idonea, & necessaria, quae non per bonam saltem consequentiā ex illa deducatur. Merito igitur eidem tamquam genuino fundamento omnis doctrina moralis superstruitur, ut facilius esse constat à Cel. Wolffio in den vernünftigen Gedancken von der Menschen Thun und Lassen.

§. III.

Explicandum iam esset, quid per vitiorum fontem intellectum velius in hac tractatione nostra; verum in ipso dissertationis lime

8 DE FONTE VITIORVM HUMANORVM

mine vix plura dicere licet, quam haec, denotare nobis fontis vocabulum primum illud principium, (quodcunque tandem sit) quo posito sequuntur, quoque sublato tolluntur humani generis vitia: quod quia adeo secundum est, ut pleno quasi alio ex sinu suo emittat infinita numero vitia, non incongrue fontis vocabulo exprimi posse, visum est. Sic occurrimus obiectioni, qua querere quis possit: quare improprie loquentes, rem ab omni materia alienam, corporea sub imagine exhibuerimus? Nec culpandi propterea nobis videatur, partim, quod necessitas quaedam, impropriis nonnunquam locutionibus uti, imperet: (h) partim quod fontis vocabulum recte intellectum, rei naturam nostramque mentem, dilucide satis aperiat. (i)

(h) Ne gratis haec asseruisse videamur, concedimus quidem omnium fere scientiarum imperfectionem, inde etiam aliquo modo deriuandam esse, quod eruditorum non pauci, nimiam stili elegantiam, nimium sermonis ornatum adfectantes, figuratum tropicumque scribendi genus, in ipsa philosophia adhibuerint, simplicem autem nudamque veritatis expositionem neglexerint. Vero parum simile hoc multis videbitur; at verbis dici non potest, quantum detrimenti ex pigmentis propositionum rhetoricae cuperit distincta rerum cognitio. Ponamus quaeſo graeculum Sophistam ad utrumque contrariorum defendendum, promtum semper & paratum, ea qua pollet dicensi facultate, auditoribus sua exponere placita & inculcare. Nemo non videt discipulos tantum non omnes, pompa verborum, nescio quid magnifici sonantium, deceptos, de distinctis ideis, propositionibus evidentibus, solidisque rationibus, parum aut nihil sollicitos fore. Vel ipsius PLATONIS exemplo confirmari dicta possunt, qui, cum eius eloquentiae esset, ut Deos, si graecae loqui forte visum fuerit ipsis, eius sermonem imitatores esse, dixerint non nulli; in philosophicis tamen scriptis obscuritatis accusatus est. vid. Cl. FLEVRI Disc. sur Platon. additus Traict. du choix & de la methode des etudes. p. 292. Nec philosophiae tantum obfuit, nimirum eloquentiac studium a veteribus tantopere excultum: sed ipsis religionis nostrae sanctioribus doctrinis, non parum damni intulisse, effrenam eleganter & sublimiter dicendi libidinem, ab iis dudum monitum est, qui ex tropicis rhetorum, ad christiana sacra conuersorum locutionibus, primum inconsiderate effusis, tum obstinatius defensis, varias haereses ipsumque papismum enata esse obſeruarunt. Immo vel orthodoxos antiquiorum temporum doctores ignorantiam suam rhetoricae artibus palliare solitos fuisse, eleganter & candide fassus est GR. NAZIANZENVS qui de difficultioris SS. dicti sensu interrogatus, regessit querenti: *Docebo te super hac re in Ecclesia, in qua mibi omni populo acclamante, eogeris scire inuitus quod nescis; aut certe, si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiae condemnaberis,*

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA.

9

beris, vid. Bibl. Vniv. T. XII. p. 145. Non sine ratione igitur, solidioris eruditio-
nis instauratores præceperunt, in libris dogmaticis, prorsus abstinentiam
esse a sermone figurato, tanquam veritati rite tradendae, minus idoneo; vt en-
dum contra, dictione propria, vocibusque in nativa significatione summis:
qua regula profecto, nihil prudentius, nihil ipsis scientiis vilius tradi a quo-
quam potuisse. Ast quid consilii est, in tanta vocum proprio significantium
inopia, quibus res, a vulgi cognitione paullo remotiores, exprimendas essent.
Vulgo nimis non eruditis linguis debemus, qui corpus magis quam men-
tem curans, de vocibus, quibus res animum concernentes exprimeret, ne cogi-
tauit quidem. Nonne vel ipsam Logicam, regulæ laudatae matrem, innumeris
seately videmus vocibus, a rebus corporeis mutuatis, & in nouum sensum de-
flexis? e. g. conceptus, terminus, clarum, obscurum, distinctum, confu-
sum & sexcenta alia. Haec ratio amantissimos quoque sermonis proprii erudi-
tos, adegit, vt improprias loquendi formas, in doctrinis philosophicis non to-
lerarent tantum, verum ipsi etiam subinde adhiberent.

(i) Censebunt fortasse nonnulli caussae & originis vocabula a nobis adhi-
beri potuisse: at minus commoda sunt visa. Illud ambiguum nimis, nec nisi
post operosas limitationes usui futurum videbatur ob multiplicem admodum,
lateque patentem significationem: Hoc errorem paritum esse, non vano
forte persuadebat suspicio, quippe facile inducere potuisset incertos, vocabu-
lum hoc fronti operis huius inscriptum, nos more Theologorum, de peccato
originis acturos esse. Placuit itaque vocabulo fontis vti, eodemque innuere,
nos, si metaphoras metaphoris addere licet, ad primas quasi vitiorum radices
penetrare, altiusque rem omnem repetere, voluisse.

§. IIII.

ANIMUS non est nobis, iustum integræ quaestioni historiam prescri-
bere. Nec iuuabit vel omnes rudioris vetustatis hac de re con-
jecturas, vel recentiorum feliores subinde conatus multis repetere.
Conserri facillimo negotio possunt, quae a viris cognitione historica in-
structissimis, dudum erudite congregata, & cum orbe litterato commu-
nicata sunt. (k) Pauca valde sunt, quae ex innumeris opinionum mon-
stris, quaestioni tractandæ luce in aliquam adfundere possunt, pluri-
ma non nisi curiositati restinguendæ inseruunt. (l) Omissa ergo falsarum
sententiarum recensione, industriae maioris quam ingenii argumento,
verioris solutionis expositionem, labore magis philosophicum ad-
gredimur.

(k) E. g. I. F. BVDDEVS, *Inst. Theol. Dogm.* Lib. III. c. II. § XXXV p.
864. 890. & qui ibidem utramque paginam facit, I. C. WOLFFIVS in Mani-
chaci-

io. DE FONTE VITIORVM HUMANORVM

chaeisino ante Minichaeos. Illius tamen mentio iniicienda est sententiae, quae inter Christianos ubique viget, omnesque reliquas quaestioniis propositae solutiones, facile superat. Inter omnes quippe constat, ex primo protoplastorum vitio, omnia hominum reliquorum vitia derivare sanctioris religionis doctores; idque ipso codice S. praeante: Egregie prorsus, si historicam vitiorum originem nosse aueas, quae ex ratione sibi relecta, numquam detegi potuissest, & ex revelatione sola cognoscitur. Alia autem ratione incendum est, philosophice in vitiorum fontem inquisituro. Haec ut melius intelligantur, concipiamus mente, de contagione quadam longe lateque gravante, quaestione fieri: Vnde ortum traxerit? Duplici potissimum ratione hanc quaestione solui posse, quiuis facile intelligit, ab historico alter, aliter a physico sive medico. Ille contentus erit primum detexisse & indicasse hominem, qui morbo pestilenti infectus, ad reliquos malum transmiserit. Hic autem, ex morbi natura bene perspecta, generatim explicare conabitur, qua ratione, ex causis physicis, contagiosa lues in aliquo oriri queat? His ad praesentem de vitiorum origine quaestione, applicatis, luculenter admodum patebit, quodnam Theologo, quodue nobis incumbat officium? Iste ex sacra Mosis historia docebit, quis primus peccauerit, quibusque tentationibus succumbens, vitiorum labem contraxerit: Nos ex aduerso, quomodo fieri possit, ut vel Adamus, vel quaevis alia natura ratione praedita, vitium admittat? explicare conabimur. Idem iam monuit Cl. BÜLFINGERVS in tract. de orig. & perm. mali. pag. 244. § 289. 290. Non inutilem esse, verum necessariam prorsus, ad refellendos minus recte sentientes, eiusmodi solutionem, ex veteribus iam intellecti Prudentius, qui veriorem Christianorum doctrinam, contra Marcionitas sui temporis haereticos, ex instituto defendere annis est. Fecit hoc peculiari poemate cui *Hamartigenae* nomen esse voluit, quodue praesenti etiam oppellae nostrae, praeter inscriptionem ipsam, primam occasionem quoque suppeditasse, non est quod diffiteamur. Eo scilicet redactum se sentiebat aduersariorum obiectiōnibus, ut altius paullo in vitiorum humanorum caussas inquireret. Deritauerat versu CCIII. vitiorum fontem ab ipso protoplastorum seductore cacodaemone.

*Hinc natale caput vitiorum. Principe ab isto
Fluxit origo mali: qui se corrumpere primum
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.*

Sentiens autem, circa ipsum Cacodaemonem eiusque primum vitium eandem, quas de homine mota erat reddituram quaestione; hinc responsiō non diu inhaerendum esse censuit, & mutata quasi sententia, in ipso hominis corde, somitem causamque malorum querenda esse docuit. v. DLIII.

*Sed quid ego omne malum, mundique hominumque maligni
Hocis ad inuidiam detorquo? quum mala nostra
Ex nostris concreta anq[ue]nis, genus & caput & vim,*

Quid

da est sententia
fionis proposita
rimo protoplatis
dioris religiosa
6 historicam vi
, nunquam detegi
u ratione inciden
te vi melius intel
longe latique grab
potissimum ratione
historico aliter, all
isse & iudicis lebo
transmiserit. His
considetur, quia ra
at? His ad praefer
et admodum patet,
lste ex sacra Mosis de
nibus succumbens, p
ei posuit, ut vel ab
admittat? explicat
de orig. & pera
cessariam prouin
n, ex veteribus ian
n, contra Marcioni
est. Facit hoc pe
odus praelenti et
am occidentem quo
edatum se sentebat
n humanorum cuius
ab ipso protoplati

ob isto
rinum
magistro.
num vitium eas
e responsioni non es
in ipso hominis est,
DLII.

minumque malig
sala nostra
spur & vici,
Qui

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA.

ii

Quid sint, quid valeant, sumant de corde parenti.

Ille quidem fomes nostrorum & causa malorum est!

Cor non nisi animam, & voluntatem praesertim liberam ipsi denotare, vix audiabit, qui sequentia attente perlegerit. Adeo vehementer enim hanc propositionem defendit, ut haec tandem verba subiungat v. DCLXXII.

*Nescis stulte! tuae vim libertatis, ab ipso
Formatore datam? nescis ab origine quanta,
Sit concessa tibi famulo, super orbe potestas.
Et super ingenio proprio?*

Haec autem, ut non alio sine diligenter adeo inculcat, quam ut ex ipsa libertate, peccatorum originem ostendat, ita in sequentibus ad Protoplastos se confert, ostensurus, eos quoque non nisi ex libero peccasse arbitrio v. DCCXVIII.

*Licuitus horrantem spernere recti,
Libertate animi? Licuit. Namque & Deus ante
Suaserat, ut meliora volens sequeretur; at ille
Sternens consilium, saeuo plus creditit hosti.*

Haec summa est eorum omnium, quae a PRUDENTIO MARCIONITIS regesta fuerunt. Verum enim vero, si hac response retusi sunt contra quos disputabat, adversarii, id ipsum eorum ignorantia potius factum est, quam solutionis sufficientia. Quid enim regessisset quaeſo Poeta noster, si ulterius quaeſumtu fuisset ab aliquo: Si peccatum ex libertatis abusu oritur, cur illam facultatem aut largitus est homini, praescius futurorum Deus; aut peccato propinquam non eripuit; aut saluam relinques suauiter non impediat? Cur non eousque facultates creature eexit, ut tentationis succumbere non posset; aut cur eas homini circumstantias non concessit, ut aut temptationi expositus non esset, aut aliis adiutio mediis, easdem feliciter superaret? Haec enim & alia huius generis, a P. Baelio, locis supra citatis, in scenam producta sunt. Quomodo autem occurri possit obiectionibus eiusmodi si Prudentii responsionibus insistere placeat, de eo conf. Parrhas. Tom. I. n. VI. p. 308. *Iaquelot de la conform. de la foi avec la raiſ. Guil. King. de orig. mali. &c.*

(1) Interim & delectationi aliquid dandum est, ne steriles nimium in arguimento paullo superiori fuſſe videamur. Nota est poetarum de Prometheus generis humani auctore, fabula, qui ex vndique collatis brutorum animantium membris, hominem, omnium bestiarum vitiis laborantem, consarcinasse dicitur, teste Horatio L. I. Od. XVI.

*Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus, particulam vndique
Desectam, & insanī leonis
Vim, stomacho apposuisse nostro.*

B 2

IMM

immo ex ipsa luti differentia, animorum humanorum diuersitatem derivare videtis eos, qui de rectioris indolis homine dicere solent, quod ipsi meliore ex luto finixerit praecordia Titan. Addenda est Pandorae pyxis a Iove missa & ab EPIMETHEO imprudenter aperta, vnde omnia in genus humanum mala exiuerunt; Licet ad physica mala magis, quam ad moralia haec pertinere videantur, DEVICALLION porro in caussae subsidium vocatur, qui deletum diluuiio genti hominum, ex saxis post tergum reiectis restituens, dura admodum corda largitus est, virtutique suscipienda parum idonea; sic enim OVIDIUS I. Metamorphos. v. 411.

Saxa

*Missa viri manibus, faciem traxere virorum,
Et de femineo reparata est femina iactu.
Inde genus durum sumus,
Et documenta damus, qua sumus origine nati.*

Taceo eas, qui ex aureo saeculo, in peius sensim ruente & degenerante hominum virtuosorum natura, vitiorum origines repetunt. Lusus enim, immo figmenta sunt otiosorum ingeniorum, quibus nemo saniorum umquam serio adsensum tribuit.

§. V.

Vnde vero potiori iure, dicendorum initium fieri potest, quam ab eo, quod omnium sensibus expositum est, quodue ipsa, abunde satis loquitur experientia? Vitiis indulgent homines; siue vt clarius idem edisseramus; Non semper ea peragunt mortales, quae vel mentem, vel corpus, vel reliquum statum suum externum perficiunt, aliorumque, quibuscum ipsis res est, beatitudinem promovent; Sed contra, eiusmodi vt plurimum edunt actiones, quae, quas forte iam possident perfectiones, destruunt, felicitatem suam impediunt, immo aliorum quoque hominum perniciem, quacunque tandem ratione id fiat, operantur. Propositio haec omni exceptione maior est, quamobrem eandem fundamenti loco, sequentibus substernere, nulli dubitamus.

(m) Circa solam vitiorum descriptionem queri forsitan posset ab aliquo: vtrum omnium prorsus vitiorum ea sit natura, vt hominem destruant, siquidem multa in contrarium adferri posse exempla res ipsa doceat? Haec quaestio, vt obiter id indicemus, non nisi ab iis proponi potest, qui institutione arbitriarum statuunt, nullamque actionem per se vel bonam vel malam esse concedunt. Est haec recentiorum quorundam post PVFFENDORFIVM sententia, qui non nisi a voluntate diuina, actionum bonitatem deriuandam esse arbit-

tran-

trantur. Quis autem credat, adulteria, caedes, surta, mendacia, blasphemias, &c. per suam naturam, virtutum quoque numero inferi potuisse, si Deo id ipsum visum fuisset? Quis credat, solo Dei beneplacito factum esse, ut beneficentia, temperantia, parsimonia, pietas, amor Dei hominumque, vitiorum numero exenta fuerint? Quis credat, latrocinia e. g. sua natura nihil differre a benignitate, & utrumque aequo bonum, aequo laudabile, aut si maius, virtuperandum aut detestandum esse? Quis tandem concipere valeat, potuisse Deum, salua sapientia & sanctitate sua, iubere sui contentum, amare odia, prae-miis afficere fraudes, similiaue innumera. Ab sit a nobis haec vel cogitare, ne-dum defendere aut propugnare. Hi tamen sunt, istius iustitiae arbitrariae, foetus genuini. Quaestione interim propositam quod concernit, obser-vandum est (I) ex ipsa descriptione satis patere, non solum peccantis spectan-da esse, sed reliquorum hominum etiam damna aequa ac incommoda. (II) Opus non est, ut actio vitiosa immediate homini perniciosa sit, quod de ea v. c. dici posset, qua quis sibi ipsi manus violentas inferret: sufficit ut mediate ali-iquid, ad damnum alicui inferendum, conferat actio: negari enim non potest, multa nobis obesse successu temporis, quae nocua fore, vix ac ne vix quidem cre-didissemus. (III) Sciendum, actiones quasdam eius esse indolis, ut singulae vix noceant, nihilominus iucunditate quadam sibi inherente hominem ad crebrio-rem sui repetitionem facile inducent, vnde tandem, confirmato satishabitu vi-tioso, non nisi certissima fluit hominis pernicies. (III) Probe tenendum, non esse necessarium, ut felicitatem & perfectiones directe destruat actio vitio-sa; satis enim vitii habet illa, quae, quo minus sibi maiorem acquirat felicita-tis gradum, vel penitus impedit, vel tardiorem tantum, difficultoremque effi-cit eius comparisonem. His probe intellectis, non facile occurrit actio vitiosa, quae non generali lege naturae prohibita esse, deprehendatur, idque vel imme-diate vel mediate. Aliquot enim conclusionibus nonnumquam opus est, ut de-certis actionibus iudicium ferri queat, quae primo intuitu vel indifferentes vel bonae videntur, cum tamen reuera vitiosae sint e. g. Litterarum studiosus multa diligentia tis inuigilat exercitiis, quae corpori agilitatem gratiamque insignem conciliant. Laudanda videtur actio, immediate ad Legem naturae applicata. Promovet enim hominis, quoad corpus, considerati perfectiones. Ast si per-pendamus eadem lege Nat. nobis iniungi ut maioris momenti perfectiones, re-liquis praef'erantur omnibus; patebit vitiosam esse corporis culturam, quae-mentis emendationem vel prorsus, vel ex parte saltē impedit.

§. VI.

PROXIMUM EST QUADERE, qui fiat, ut libera hominis voluntas eiusmo-di actiones prodat, quae in sui detrimentum vergunt, felicitatem su-

am impediunt, aliorumque cum internis tum externis perfectionibus obſunt? Res profecto miranda! Annon ea est omnium consensu noſtræ voluntatis natura, vt vehementia quadam acta, in bonum feratur, & mala quaevis auerſetur? Annon idem suadet, tam alte mentibus noſtris infixus, immo ipſi effentiae insitus rerum noſtrarum & perfectionum praefertim amor? (n) Omnibus his aliisque ſimilibus probe conſideratis vix occurrit, quod quaefitioni propositae ſatisfaciat melius, hac reſponſione: Non aliunde, quam ex falſis rerum plurimarum apparentiis, deriuandas eſſe peruerſas adeo voluntatis noſtræ inclinations; mala noia pauca bonorum, bona rurſus innumerā malorum ſpeciem mentiri, hiſque de cauſis fieri ſolere, vt voluntas peruerſo infeſtique prorsus iſtinctu fugienda quaerat, facienda negligat, exſequatur omittenda, multaque tandem ſibi quondam profutura cane peius & angue fugiat. (o)

(n) Licet teſtibus in re clara opus non eſſe videatur, audiamus tamen ea, quae Cl. BVDDEVS in Phil. Praet. Cap. II. §. XXXII. haec de re diſſerit: Quamprimum voluntas aut ab intellectu, aut ab imaginatione, vel ipſis etiam ſenſib⁹ externis repræſentatum percepit, non potest non illud amare atque appetere, ſicut malum, quod ut malum percepit, neceſſario fugit & auerſatur.

(o) Eleganter hic LACTANTIVS L.I. diu. Inst. c. I. Quia virtutibus amaritudo permixta eſt, vitia vero voluptate condita ſunt: Illa offensi bac deliniti feruntur in p̄aceps, ac bonorum ſpecie falſi, mola pro bonis amplectuntur. Nec contemnenda, quae ALCINOVS de doctr. PLATON. Cap XXX. p.m. 69.70. hanc in rem diſſeruit: Quis in parte ſui p̄aeſtantissima, inquit, id quod malorum maximum eſt (autiuum putat) ſponte uñquam eligat? Quod ſi quis in vitium fertur, priuum quidem non ut in malum, ſed velut bonum potius inclinatur, & ſi in malum nibilominus labitur, certe decipitur, quod bac via per minns aliquod malum ad maius aliquod adſpirat bonum. Neque enim fieri potest, ut quis eo animo in mala feratur, ut haec conſequatur, non ſpe boni alicuius, aut metu maioris mali. Notandum tamen hic eſt, non idem hic nobis eſſe bonum, quod iustum, quod rectum & honestum alias dicitur. In latiffima ſignificatione bonum hoc intelligendum eſt, ita, ut quidquid aliquo modo iucundum, utile, vel alia quaeunque ratione expetibile eſt, ſub ambitu ſuo complectatur. Egregie hoc argumentum prosequutus eſt IO. de la PLACETTE, in tract. de la foi diuine L.II. cap. XX. Multo cum iudicio enim obſeruauit: Que lorsqu'on commet un peché connu & deliberé on ne le commet, que parce qu'on juge vraiment ou fauſſement, avec raison ou sans raison, par lumiſere, par caprice, par paſſion, ou par préjuſe, qu'on juge dis que dans la conjonction, ou l'on ſe trouve, il vaut mieux, il eſt meilleur, plus

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA. 19

plus avantageux, PRAESTAT, SATIVS EST, defaire ce qu'on fait, que de ne le pas faire. Vberius haec in sequentibus declarat, addens (I) consulto se dixisse, non quod vel aequorem, vel laude dignorem, vel honestatem, vel gratiorem tantum, vel utiliorem semper iudicet peccans actionem suam; sed quod PRAESTET, quod SATIVS SIT, delinquenti, peccare potius, quam non peccare. Quum enim neutrum ex illis iudiciis ab omnibus feratur peccantibus; quippe qui pro ingeniorum diversitate, diversa valde ferre solent iudicia: generalibus utendum fuisse vocabulis primum est, quibus omnia ista, & plurima alia forte, includerentur peccantium iudicia. (II) Monet auctor, illud, quod a peccante praefertur reliquis omnibus, eligiturque, non semper reuera praestare, & satius esse; sed pro meliore tantum haberi, satius ipsis videri & existimari: ita ut facile error in eius iudicio latere possit. (III) Addit, non ferri iudicia de rebus ipsis, absolute & in se spectatis; sed respectu circumstantiarum, in quibus peccans, eo quo peccat tempore, versatur. Illustrat hoc illius exemplo principis, qui sitim patientis extremam, vel integrum regnum suum cum haustu frigidae commutare non dubitabat. Observat (III) non iudicare peccantem de futuris actionis suae commodis, sed de praesentibus, saepe enim accidit ut bonum praesens, licet minus, futuro praeferratur, licet maioris momenti fuerit. Declarat (V) nullatenus afferuisse se, post semel latum de actione iudicium eandem statim & necessario consequi, siquidem facilime fieri queat, vt orta subito alia cogitatione, mentem consiliumque mutemus; hoc tantum se voluisse indicat, quod ex omni peccato voluntario intelligatur, ultimo, quod ante actionem vitiosam latum est, iudicio, decretum fuisse; satius esse, eandem exsequi potius, quam negligere. Haec omnia experientias admodum conformia, & cum voluntatis inde consentanea prorsus esse, quinque rerum intelligens factetur. Immo his obseruatDEM, recte intelligi poterit vulgatus philosophorum canon: Nihil adipetimus, nisi sub ratione boni, & contra. Haec cum ita sint, mireris merito quosdam, qui, quum nihil oblicere possint, decantatum illud MEDEAE occidunt:

Aliudque capido

Mens aliud suadet, video meliora proboque,

Deteriora sequor.

Ouid.

Enimuero, licet parum obesse possit veritatibus adeo certis Poëtae cuiusdam placitum, quum Sext. Imp. iudice: Poëticis utantur locationibus, non quā sincere phibophantur, eorum enim ad persuadendum sufficit oratio, sed quā vulgo fucum faciunt, adu. Grammat. c. XIII. p. m. 277. Interim tamen tantum abest, vt nobis contrarium sit memoratum OVIDII essatum, vt potius recte intellectum pro nostra militet sententia. Quid quæso clariss est, quam hunc esse verborum illorum sensum: *Dicitat equidem sana ratio, extra has circum-*

circumstantias constituta, illud potius, quam hoc agendum esse: nec ita iudicium
huius saepius a me lati, obliuio me cepit, ut eius recordari amplius nequeam;
quoniam potius idem & nunc mentem subit: Consideratis interim probeque per-
pensis his rerum me ambientium circumstantiis, praefat, conductit, satius est
praesentibus fruis sensuum oblectamentis, quam abstinere ab hac voluptate, for-
te non facile redditura. Non absimiles PRUDENTIO nostro suisse vi-
dentur in explicatione lapsus Adamitici cogitationes, quod ex his colligo
versibus v. 711. seqq.

Letalia prudens

*Eligit atque volens; Illud magis vtile retur,
Quod, probidente Deo, persuasit callidus anguis.*

§. VII.

AN vero voluntati tribuendum est, quod in appetitu rerum homini
noxiarum, in executione actionum prauarum, deprehenditur vi-
tium? Absit. Haec enim semper, quod partium suarum est, agit, bo-
na, qua talia, adpetit; mala, tamquam mala, auersatur. Hinc nemo non
videt, culpam omnem in actione vitiosa commissam, in eam mentis fa-
cilitatem redundare, quae rerum ideas sibi format, de iisdem iudicat,
hisque iudiciis suis, siue veris, siue falsis, siue apparentibus, siue solidis,
voluntatem ad agendum, ad cupiendum, ad auersandum impellit.
Intellectum his indicari quiuis haud difficiliter intelligit, (p) cuius o-
mnino esset, spretis rerum adparentiis, latente sub herba anguem de-
tegere, actionumque ex euentu potissimum, exacta satis, de earum bo-
nitate iudicia ferre, vera bona semper tamquam obiecta electione di-
gna proponere, mala e contrario tamquam noxia, eaque propter tam-
quam fugienda voluntati fistere. Cui officio suo, quantopere desit su-
perior mentis facultas, nemini fere ignotum esse suspicamur. (q)

(p) Solius CARTESII sectatores aliam cum magistro suo sententi-
am defendendam sibi sumferunt, statuentes, omnes mentis actiones ad vo-
luntatem referendas esse, intellectum autem pro facultate mere passiu ha-
bentes, ita, vt iudicia mentis etiam voluntati tribuenda veniant, vt non ob-
scure colligitur ex tract. de Pass. Anim. Part. I. art. XVII. p. m. 10 seq. At
tantum absit, vt cum iisdem nobis pugnandum esse censeamus, vt potius no-
stra parum referat, vtrum quis sententiam calculo suo probauerit. Sufficit,
quod & haec philosophorum familia menti nostrae facultatem de rebus iudi-
cia ferendi concedat, eamque ab ipso adpetitu aliqua ratione distinguat.
Perinde est, quo nomine eandem adpellamus, perinde etiam est, vtrum ad
intel.

RVM
nec ita iudic
plus nequam;
n probeque pr
ducit, fatius e
voluptate, for
nostro fuisse vi
et ex his colligo

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA.

17

intellectum an vero ad voluntatem referamus. Si tamen dicendum quod res est, melius nobis animae facultates distinguere videntur, qui tres illas vulgo sic dictas mentis operationes, ideas puta, indicia & ratiocinationes ad intellectum referunt, voluntati vero, non nisi appetitum & aversionem, seu ut alii idem efferrunt, amorem & odium relinquunt. Ceterum similibus in controversis probe tenendum, docendi gratia tantum distinguiri per quandam mentis abstractionem, intellectum a voluntate. Unica est, eaque simplicissima, mentis nostrae substantia. Haec & intelligit, & iudicat, & amat, & odit. Quare, qui alteri harum facultatum in cerebro, alteri autem in corde sedem adsignant, in frusta sic discerpentes, naturam diuidi nesciam, ipsi viderint, quo modo placita temere recepta defendere velint.

(q) Eleganter aequa & solide hanc in rem cecinit quondam latinorum Satyricus, nemini secundus, IV VENALIS, Sat. X.

*Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque
Auroram & Gangem, PAVCI DIGNOSCERE POSSUNT
VERABONA, atque illis multum diuersa, remota
Erroris nebula; Quid enim ratione timemus
Aut cupimus?*

Insignis enim difficultatis res est, vero consentanea semper de rerum actionum-
ue bonitate ferre iudicia. Adeo modicae sunt intellectus nostri vires, tamen mul-
ta & contrario in rebus & actionibus consideranda vt plurimum veniunt, vt
singulis considerandis, nec attentio eius sufficiat, nec tempus satis diuturnum
suppetat. Nonnunquam accidit, vt de actionis cuiusdam bonitate, non nisi o-
mnibus eius effectibus, qui per omnem vitae nostrae decursum protenduntur,
probe perspectis, iudicium ferri queat. Quis tanto labore parem esse glo-
riari sustineat? aut quis imbecillitatis suae adeo immenor est, vt prouidenti-
am suam ne unicae quidem diei negotiis praeviudendis sufficere, nesciat?

§. VIII.

Liberata sic hominis voluntate, intellectum vitiorum omnium paren-
tem constituimus (r). Fateri interim cogimur, supinam huma-
ni generis in excolendo iudicio suo negligentiam, prorsus excusari non
posse. Hac enim sola impediuntur innumeri, quo minus distinctam si-
bi boni malique cognitionem comparent, fallacemque rerum speciem
cavere discant (s): Deinde largimur etiam, non suppetere maximae
hominum parti, occasionses sat multas excitandis animae facultatibus
idoneas, mediaque ad vires iudicij augendas maxime necessaria: e. g.
prudentem a teneris educationem, confortium probum, exempla lat-
C de

de digna, solidamue in doctrina morali institutionem: Illud autem nec concedimus, nec facile a quoquam assertumiri credimus, quod vel diligentissima cultura adeo perfici possit intellectus humanus, ut nunquam in iudiciis de actionibus aut rebus ferendis erret, numquam voluntatem ad mala exsequenda inclinet: argumento certissimo, arctis valde limitibus naturam nostram circumscriptam esse, eosque cognitioni nostrae fines statutos, quos pro libitu extendere, quamdui terram incolumis, non valemus.

(r) Vel ipse PRUDENTIVS sibi temperare non potuit, quin hanc veritatem suffragio suo confirmaret, v. 251. Hamart. ita scribens:

*Vita hominum, cui quidquid agit VESANIA ET TERROR
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffluat, impuro feraescat ut igne libido:
Sorbeat ut cumulos humorum faucibus amplis,
Gurges avaritiae
INDE seges scelerum, radix & sola malorum.*

(s) Inuenti sunt nostro praesertim saeculo, qui malo huic, laudabilis prorsus instituto, medelam parare conati sunt, dum nouis subinde inuentis, grataque methodo, moralem doctrinam propONENTES, eam plurium gustui & ingenio accommodare sategerunt. Taceo iam Gallos, qui fabulis ad imitationem veterum eleganter inuentis, id egerunt, inter quos de la MOTTE, FONTAINE, FONTENELLE, &c. laudari praesertim merentur. Taceo, qui THEOPHRASTI characteres ethicos non traduxit tantum, sed auxit multis modis, immo si quibusdam fides habenda, superauit, Cl. de la BRUYERE. Recentiores magis laudandi sunt RICHARDI STEELII conatus, qui novo prorsus instituto inter Britannos Socratem modernum sive Spectatorem edidit, qui liber ob praestantiam varias in linguis translatus est. Imitari hoc in pauci Anglos conati sunt Helvetii quidam, Pictorum quorundam sub nominibus latentes, qui, licet quoad realia in multis laudari mereantur: stilum tamen, quod concernit, rudiiores sunt, quam ut extra Helvetiam sine tadio legi posint. Feliciori successu Hamburgensi ille Patriota, qui & ingenio, & morum humanorum cognitione non proletaria, & stilo vernaculo puriori commendandus est, idem negotium suscepisse censetur a rerum intelligentibus. Quos omnes, ut omni fructu laborum suorum frustratos esse, temere quis contenderit, ita, an omnibus, in deploranda, quoad res morales, negligentia, versantibus, soporem excussuri sint? merito dubitatur.

(t) Consulto factum, quod limitum mentis nostrae mentionem inserimus, eo ipso finitam eius essentiam indicatur. Hoc nobis cum omnibus creaturis communis est, licet diuersi prorsus sint limites singulis earumdem

dem individuis constitutae. Quemadmodum enim rebus corporicis e. g. totalibus illis, quae caelestia dicimus, corporibus, ratione magnitudinis, alia aliae contigit extensionis limitatio: ita substantiis simplicibus, quas spiritus animatus dicimus, ratione cognitionis termini sunt positi. Exigua sane gaudent cognoscendi facultate, illarum verium animae, quae praeter tactum nullo refere gaudent sensu. Altius collocanda sunt insecta, quae oculorum auriumque vium accepere. Sequuntur ea quae perfectiorum nomine venire solent, eo quod quinque sensuum organis instructa sunt, nempe volatilia & quadrupedia, quae inter reperiuntur nonnulla, aliquid humanae rationi analogon habentia, ut simiae, elephanti, canes & equi. Tandem homo, sanctius animal, mentisque capacius altae, minus arctis gaudent cognitionis sue limitibus, multa quippe sciens, quae a sensibus remotissima sunt. Non tamen dubium est christiano, dari & alias naturas intelligentes, se ultimum perfectiores, quos ab officio angelos vocat cod. S. quorum possibiliterum, ut ita loqui licet, & ratio satis assequitur, perpendens multos adhuc restare cognitionis gradus, quibus nos destituiuntur, nos inquam, quorum haec conditio est, ut maxima pars eorum, quae scimus, minima sit earum rerum, quas nescimus. Patet hinc limites mentis nostrae, non esse, nisi vltioris perfectionis negationem, sive maioris cognitionis privationem, quam aliqui ex subtilioribus, metaphysici mali nomine adpellare consueverunt; obseruentes nimirum, omne malum, non esse ens positivum, vel reale quid, sed meram realitatem priuationem, bonique defectum, vti ex antiqua Platonico sententia demonstravit LVD. DE MORAINVILLIER in Exam. Phil. Plat. P. II. c. II. de malo Sect. I. Prop. 2. C' 3. De cetero mentis nostrae angustos limites, nemo forte melius inspexit Cel. HVETIO, qui in tract. de la faiblesse de l'esprit humain, copiose hoc argumentum excusit, factumque rationis nostrae satis repressit.

§. VIII.

Haec vt melius intelligentur, distinctius euoluenda erunt. Est primo in mentibus nostris infinitarum rerum, quamprae negationis dicimus ignorantia, certissimum imperfectionis nostrae indicium. Sunt porro in iis, quae cognoscere nobis videmur, obscuritas multa, confusio ingens, defectusque ali non parui; quod satis patet, si meditemur, paucas admodum ex ideis nostris esse distinctas, adaequatas autem paucissimas. (u) Sensuum praeципue ministerio, qui menti ingruntur conceptus (v) adeo confusi sunt, vt nullo saepe labore, in notiones distinctas, nedum adaequatas mutari possint, et si viuide adeo mente percellant, vt properato iudicio de earum natura decernere

nulla dubitet. Hinc mirum non est, vt toties fallatur anima, de rebus non satis sibi perspectis, de ideis, quas vix ex parte cognouit, pronuntiando; nec mirum tandem, si voluntas erroneis adeo iudiciis decepta, pro bono malum adpetat, pro Iunone nubem amplectatur.

(u) Primus solidiorem hanc idearum differentiam exposuit G. G. LEIBNITIUS in Act. Erud. Lipsiensibus An. 1684 p. 537. repetitque tum alibi saepius, tum etiam in Theodicea passim. CARTESIUS ideam claram & distinctam promiscue dicere solitus erat, sine accuratori terminorum definitione: multique alii post eum licet magni nominis philosophi, clarum pro distincto, distinctum pro claro ponere non dubitarunt. Vld. Cler. Log. P. I. c. IX. §. 2 3. 4 pag. 46 seqq. Differentia autem, vt manifesta, sic conceptu facilissima est. Clara notio est rei cuiusuis in mente nostra factum representamen, quod ad eandem, ab omnibus aliis rebus, quoouis tempore discernendam, sufficit e. g. Idea coloris albi. Opponitur ei idea obscura, qualis e. g. est idea quam de planetis, Iove, Marte, Saturno & Venere habent primi astronomiae tirones. Distincta notio praeter explicatam modo claritatem, requirit adhuc vt verbis etiam dicere valeamus, quibus potissimum criteris rem nobis obuersantem ab omnibus aliis distinguamus, e. g. trianguli idea tali est, quae per numerum laterum suorum ab reliquis figuris omnibus distinguitur. Opponitur ei confusa, quales sunt omnes ideae colorum, qui quomodo ab iniiceo differant, vel eloquentissimus naturae indagator coeco nato non explicauerit. Vnde simul patet eas quae clarae sunt ideas, vt coloris albi, nihilotamen minus confusas esse posse. Quam illi. LEIBNITH observationem ad promouendam solidam rerum cognitionem utilissimam, varii in libellis logicis securi deprehenduntur Philosophi. vid. WOLFFII Comm. de Method. Mathemat. tum Elementis matheseos latinis tum germanis obvia.

(v) Quando sensuum ministerio menti conceptus ingeri afferui, communis loquendi formula vsus sum. Idque propere feci, ne in famosam, de vnione corporis & animae controversetiam, descendere opus esset, quae tantis animorum motibus, occasione noui Systematis Leibnitiani agitatur in Germania. Nec via ratione, in praesenti tractatione mutatur quicquam, siue vulgarem influxus physici, siue Cartesianam causarum occasionalium, siue Leibnitianam harmoniae praestabilitae hypothesin quisquam probauerit. Ultima praesertim in disciplina morali nihil prorsus impedit, nihil innouat, immo adeo parui usus est, vt vel ipse CHR. WOLFFIUS in den vernunftigen Gedanken von der Menschen Thun und Lassen, nullam eius mentionem fecerit. Quo minus metuendum est, vt vel libertas hominum eadem tollatur, vel alia incommoda ex memorata hypothesi oriuntur. Interim qui de origine idearum, elaboratum quid exactiore iudicio conscriptum legere desiderat, conferre.

ORVM
nima, de rebus
auit, promon-
tudicis decepta,
tur.

uit G.G. LEIBNI-
ze cum alibi ferepi-
lorum & difficultatum
definitions: multi-
o distinctio, diffi-
c IX. §.2 3 4 pg.
cillima est. Cui
, quod ad eandem
ficit e.g. Idez colo-
sum de planetis. Io
e tirones. Distinctio
et verbis etiam dia-
tem ab omnibus
numerum laterum
et confusa, quia
rant, vel eloquuntur
nde simul patet ea
confusa esse possi-
dam rerum cogni-
tiorum philosophi vid-
atis mathematis latini-

eri alleni, communi-
tum famosim, de vniuersi-
tate tacticis animis
in Germania. Nec
sine vulgarem lati-
tue Leibnitianam ha-
cerit. Ultima prae-
dicta nihil innovat, mo-
s in der vernunftig
nullam eius mentio-
nium eadem velut
Interim qui de origi-
num legere deciderat

Quam neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec saevus ignis, nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

HORAT. Od. XVI. lib. I.

Attamen cum esse etius causa sua numquam maior esse queat, necesse est, ut quod
per unicas causas affectum excitantem explicari nequit, per coniunctionem in-
numis.

QVAESTIO PHILOSOPHICE SOLVTA. 21

ferre poterit M. IO. HENR. KREVSCHNERI. V. D. M. apud Regiomontanos
eloquentissimi Diss. de origine Idearum in mente humana habita 1717. Regiom.
Pruss qui LEIBNITII sententiam ita proposuit, ut a veritatis amico vix quic-
quam desiderari queat.

§. X.

POtuissent quidem aliae adhuc, & prima fronte saltem meliores vitio-
rum caussae indigitari, e. g. affectuum violentia, (x) inueterata
peccandi consuetudo, (y) exempla denique & confortia prava: Verum
re adtentius expensa, apparebit, non necessarium fuisse, addere haec
omnia, postea, quae iam in medium prolata sunt. Omnes enim hae
caussae, non sunt nisi in iuli ex illo ipso vitiorum fonte, limitato nimili-
num hominis intellectu, profluentes. Adfectus ex confusa boni mali-
ve cognitione oriuntur, & a phantasia, quae innumeris obscuratum
idearum suggestionibus officio suo deesse non solet, multum corroboran-
tur. Consuetudo, consistit ex iteratis eiusdem actionis repetitioni-
bus, quae singulæ, non nisi ex falso mentis iudicio ortae erant. Exem-
pla quoque omnem nocendi vim ex falsis iudiciis nostris habent, quibus
ea, quae ab aliis fieri videmus, aut laudamus, aut saltem excusari posse,
arbitramur. Falsa iudicia nostra ex imperfecta cognitione rerum ori-
vntur: haec, ex limitatione naturis nostris essentiali originem habent: Er-
go vitia ipsa, non nisi in limitata mentis humanae essentia, fontem suum
agnoscunt.

(x) Explicamus hic affectuum, quatenus in mente considerantur, originem,
non negantes interim, eos, quatenus in corpore existunt, aliis ex causis prouenire.
Quum autem in corpore non quaerantur sed in mente ratione praedita, actiones
vitiosæ, nostrum non erat corporeas affectuum, in genitinis temperamento
& motu, inquirere caussas. Interim attentionem meretur non exigua, quod
ex obscuris quibusdam, confusisque rerum subito occurrentiis idei & repente
lati iudiciis, tantos in animo motus, tantas in mentibus tempestates oriri,
iram e. g.

Quam neque Noricus

Deterret ensis, nec mare naufragum,

Nec saevus ignis, nec tremendo

Iuppiter ipse ruens tumultu.

C 3

numerarum circumstantiarum, praesentiarum, praeteritarum, futurarumque perceptionem, efficiatur; Vis enim unita fortior. Hinc ad phantasiam provocandum erat, i.e. ad eam mentis facultatem, quae absentium quoque rerum ideas, praesentes animo sicut, hisque mediantibus, recentissimo affectus irritamento vim addit, vehementiamque conciliat. Fusus haec persequi hic opus non est. Optandum tantummodo, ut vera essent, quae de facillima aequali reppressione vel CARTE SVS in all. sup. de Paf. Animae tractau, vel ipse PRUDENTIVS noster scripsit v. 423. Hamart.

*Nemo habitum naturae, aut irritamina peccans
Corporis incuset: facile est fraenar' rebelles
Affectus carnis, nimiosque retundere pulsus
Materiae fragilis, & viscera vieta domare.
Quippe animus lange praestantior, utpote summo
Aethere demissus, subiectus si velit artus
Imperio quassare granu, iussisque seueris
Dedere; regnanti domino vis nulla resistet.*

(y) Quanta sit consuetudinis vis, illi optime intellexisse videntur, quia eamdem alteram esse naturam dixerunt. Egregie hac de re differit I.O. CLE-RICVS, Tr. de Incredulitate Part. I. cap. I. p. 9. Si les hommes étoient des purs intelligences uniquement appliquées à la recherche du vrai & du faux, & disposées à régler leur conduite sur les vérités, qu'elles auroient découvertes, sans que cela leur fut aucune peine; pour les retenir de leurs erreurs, & pour réformer leur conduite, il ne faudroit, que les convaincre des vérités qu'ils ignoroient, en leur proposant les preuves, & leur montrer que leur vie n'y est pas conforme. Mais les jugemens que les hommes font, de la plupart de choses, dépendent autant des habitudes qu'ils ont contractées, & dont ils n'arrêtent pas facilement les mouvements, que des lumières de leur esprit, & de leurs raisonnemens.

§. XI.

NEc est, ut in humani generis auctorem aliquis inuehatur, propterea, quod perfectiorem sibi naturam non concederit: non impiatam tam; sed ratione carens esset haec querela. Perfecta vtique est hominis essentia, utpote, quae nulla re destituitur, quae ad hominem constitendum requirebatur. Deinde, si nihilominus misera adeo cuiquam videatur praesens conditio sua, ut ampliores concessos non esse in creatione intellectus limites, doleat: is sciat oportet, essentias vti omnium rerum, sic suam quoque immutabilem esse, tantumque abesse, ut idem ipse amlrioribus ornari potuerit intellectus donis, quam quibus actu gaudet, ut potius alia producenda fuisse, loco sui, perfectior aliquanto natura. Placuit autem Deo homines creare nos, non angelos, alias ue-

prae-

praestantiores essentias terrae incolas concedere. Nec sapientiae aut bonitati eius id contrarium videri debet, quum imperfectiora multo nobis videamus entium genera, quae tamen, partim ob propriam, partim ob resultantem inde totius uniuersi perfectionem, auctore suo indignae, nullatenus censeri debent. (z)

(z) Egregia proflus sunt Cl. B V D D E I verba in Theol. Dogm. Lib. II. c. 2. p. 501. §. 17. *Quando res creatae bonae dicuntur, ita hoc intelligendum, quod quelibet in suo genere fuerit perfecta, seu ita comparata, ut fini, ad quem condita erat, accurate responderet, nullumque etiam vitium, nulla labes in ea deprehenderetur. Licit itaque quaedam res creatae perfectiones quasdam habent, quibus aliae destituantur, ideo tamen haec nevquam imperfectas censeri debent, quaelibet enim eas perfectiones habet, quae ei concuerint. Sunt itaque plantas in suo genere perfectae, licet perfectionibus animalium non gaudeant: & animalia bruta perfecta sunt, licet perfectionibus hominum destituantur.* Addi potest: *Et homines perfecti sunt, licet angelorum perfectiori cognitionis gradu, & inde profecta sanctitate non gaudeant. Idem l. c. p. 888. maiores homini perfectiones concedi non potuisse, docet his verbis: Haud per functionie obseruandum, et si bonitas Dei infinita sit, non tamen inde sequi, quod in rebus quoque creatis infinito modo apparere debeat; hoc enim si esset, nulla res creata Deo ipso inferier foret: quod absursum esse, quilibet intelligit. Tandem post pauca subiungit: Quare si Deus non ita condidisset hominem, prout eum condidit, quiduis potius, quam hominem condidisset. Eodem collimanter verba auctoris cuiusdam galli: Il s'ensuivroit même de là une absurdité palpable, c'est que les Créatures de Dieu, devraient avoir autant de perfection, que lui; c'est à dire des perfections infinies, ce qui est impossible, parce que sans cela, on dirait toujours, que Dieu leur a pu donner des degrés infinis de perfections, qu'il ne leur a pas donné, & par consequent, que sa bonté ne paraît en eux que bornée, par des effets limités. Ainsi il faudroit, que Dieu fût autant de Dieux, que de Creatures, ce qui est contradictoire. Azmen tandem claudit D. THOMAS P. I. quest. 48. art. 2. *Perfectio, inquit, uniuersi requirit inaequalitatem esse in rebus, ut omnes bonitatis gradus impleantur. Est autem unius gradus bonitatis, ut aliquid ita sit bonum, quod a bono desiccare possit. Quācūd etiam gradus in ipso esse reperiuntur: quaedam enim sunt, quae siūm esse amittere non possunt, ut incorruptibilia. Sicne ergo perfectio uniuersi requirit, ut non tantum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia; ita perfectio uniuersi requirit, ut sint, quae a bonitate desiccare possint.**

§. XII.

Absoluimus sic B. C. D. nostram de fonte vitiorum tractationem, a posteriori sine methodo analytica deductam. Haec praepara-

tionis loco esse poterit ad rem omnem penitus inspiciendam, iis, qui a priori eandem cognoscere desiderant. Commendari hoc facturis meretur, non tantum LEIBNITII Theodicea, verum recentior praeprimis Cl. BULFINGERI tractatus, qui de origine non moralis tantum, sed & physici mali egit, immo alteram quoque de permissione vtriusque quaestione soluit, obiectionibusque, quae frequentes in hoc negotio esse solent, ex ase satisfecit. Hunc igitur, si quis attenta lectione & relectione dignari velit, experietur, non facile meliorem solidioremne BAELIO aliisue religionis aduersariis occurrendi methodum excogitatam esse haec tenus. Quodsi contrarium alicui visum fuerit, eum suo abundare sensu lubentissime patimur, experturi interim, uter nostrum in retundendis hostium machinationibus feliciter collocaturus sit operam.

T A N T V M .

COROLLARIA.

- I. Spinozismo fauet eorum sententia, qui praeter hunc, nullum prorsus alium a Deo mundum produci potuisse, afferunt.
- II. Qui vniuersum hoc, ex omnibus possibilibus, optimum esse negat, in bonitatem Dei infinitam iniuriam efficit.
- III. Harmonia praestabilita hypothesis est, vulgari, quam instuxus physici vocant, & Cartesiana, quae causarum occasionalium dicitur, si non probabilius, attamen aeque probabilis.
- IV. Systema harmoniae praestabilitae recte intellectum, libertati hominis non officit; sed maxime fauet.
- V. Voluntas hominis numquam, sine praevia intellectus determinatione, agit.
- VI. Haec demum vera libertas est, qua, quidquid rationes maximi pondoris suadent, exsequimur.
- VII. Bene Luius: Mentem peccare, non corpus: & unde consilium abfuerit, culpam abesse.

